




MS
149

149








DISCI

PLINA ET INSTI-
tutio puerorum, ex opti-
mis quibusq; autori-
bus collecta.



DISCIPLINA
QVOMODO
DOMANE SVRGENDVM.

Attenuant (ut inquit Ouidius) uigilate corpora noctes.

Quare in primis habēda cura somni, ne aut plus quam oportet tenuor sit somnus, aut quam expedit lethæus. Septem horis dormisse, etiam puero satis est.

Surgens itaq; manē, primum ab ipso lecto, in nomine patris & filij, & spiritus sancti, diei auspicaberis initium, & dominica oratione commendabis te Christo.

Gratias ages, quod eam noctem uoluerit esse prosperam tibi.

Deinde precaberis, ut diem itidem illum totum tibi fortunet bene, ne impingas in peccatum.

Mox ueniens in conspectum, fœlicem diem precaberis parentibus.

Inde capillitium comabis, manus & uultum lauabis, ut quàm primum recipias ad ludum te.

Ante ingressum spiritum suum ut tibi largiatur Christus, orabis, quia citra illius opem, frustraneum est quod tentatur.

Interim tamen sic stude, quasi nihil sit ille auxiliij laturus, nisi gnauiter laboranti.

Puero præcipue curæ sit pietas, quæ est rectus dei cultus.

tus.

PVERORTM.

tus, qui constat, fide, amore, spe erga deum indubita-
tatiſſima.

DE DILIGENTIA ADHI-

benda in ludo.

Libenter auſculta.

Et quod agis, toto pectore agito.

Reſponde uerecunde.

Praua non mordicus conſuta, ſed uerecunde.

Ante omnia caue ne merito uapules.

Ne quid dicto factoue, uel præceptorem offendas, uel
ſodales tuos.

Diſputantem contra te magis doce quàm uince.

Lectione aſidua, pectus tuū bibliothecam fac Chriſti.

Ab infantia diſce ſacras literas.

Pro lectione quotidiana penſum fixum habeto.

Neque ante ſomno indulgeas, quàm præclaris aliquot
ſententijs pectoris calathum oppleueris.

Interdum ſi quid de penſo lectionis omiſſum, mulctam
tibi iniungito.

Diſce certis quibusdam ingenijs aſueſcere & inniti,
quæ exprimas.

Probatiores autem legito ſemper.

Non abſcedat dies, in qua non aliquid adijcias ut me-
lior ſias.

Nam eloquentiæ tantum ſtudere, ut eruditione docti-
or ſias, non melior, diabolicum eſt.

Prodeſt eloquentia, ſi uirtus fuerit maſtra.

A

ij

Et

DISCIPLINA

Et mores dicentis sunt qui persuadent, non oratio.

Autores quibus paratur eloquentia, sunt Cicero, Terentius, Gellius, Quintilianus, Salustius. His precipue uelut principibus eloquentiae, innitendum est. Terentium quosdam audio contemnere, & uetare ne pueris praelegatur, sed eos qui nunquam affecti sunt Terentium.

Neque nos unquam passim, & absq; delectu omnes poetas probauimus.

In disciplinis quoq; liberalibus, Item in Geographia historijs, & instudijs linguarum, conuenit saltem prima elementa attingere in puericia, sed de hoc alias

DE REDIVTV EX LVDO

Dimissus à ludo domum propera rursus, nec in platea moram feceris.

Domus si quid est obsequij praestandum parentibus, diligenter obi.

Quod si uacat tecum repetere quod praelectum est in schola, repete.

Nihil enim in uita preciosius tempore.

Cogita enim quod irrecuperabile est, & perit, & quod transigitur.

Vbi hora ingruerit prandij, mensam adornato.

DE APPARATV MENSAE.

Mensam in tempore adornato. Sed ante apparatus, pocula diligenter mundato.

Mense primum superponitur mappa.

Inde

PVERORVM.

Inde circulus aureus.

Proximè salina.

Post hæc orbes.

Ad postremum panis.

De poculorum appositione patriam imitare. Nam
hic uariant regiones.

CONSECRATIO MEN-

se ex Chrysostomo.

Benedictus deus qui me pascit à iuuentute mea, qui ci-
bū præbes omni carni, reple læticia & gaudio cor-
da nostra ut affatim quod satis est habentes, abun-
demus in omne opus bonum in Christo Iesu domino
nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium,
cum sancto spiritu in omne æuum. Amen.

Pater noster qui es in coelis sanctificetur & cæ.

Alia consecratio breuis.

Quicquid appositum est, & quicquid apponetur, fœ-
lix ac sacrum esse iubeat, qui sua benignitate pascit
uniuersa. Amen.

DE REMOTIONE MENSÆ.

Eodem autem modo quo apparatus, ita & remouetur
mensa.

Orbes colligentur primum.

Post hæc salsamenta & sal.

Inde casæus uel quicquid aliud est *περμύτων*, id est,
secundarum mensarum.

Ad ultimum unà cum pane remouetur & mappa.

A iij HYM=

DISCIPLINA
HYMNVSE ET GRATIARVM

actio post sumptum cibum.

Gloria tibi domine, gloria tibi sancte, gloria tibi rex,
quoniam dedisti nobis escas, imple nos gaudio &
leticia in spiritu sancto, ut inueniamur in conspectu
tuo acceptabiles, nec pudefiamus, quando reddes
unicuique secundum opera sua.

Amen. Pater noster qui es in caelis & cæte.

Alia gratiarum actio.

Gratias agimus tibi pater celestis, qui tua ineffabili
potentia condidisti omnia, tua inscrutabili sapientia
gubernas uniuersa, tua inexhausta bonitate cuncta
pascis ac uegetas, largire filiis tuis, ut aliquando te
cum bibant in regno tuo nectar illud immortalita-
tis, quod promisisti ac præparasti uere diligentibus
te per Iesum Christum. Amen. Pater no.

DE GESTIBVS IN MI-
nisterio mensæ.

Erectis & compositis pedibus sta, solícite animadu-
rens ne desit quid. Et cum infundendum, siue quid
porrigendū, apponendū, aut tollendū, ciuilitér id feceris
Amandatus aliquo, reditum matura.

Ante & post epulas deo benedicis, & consecrationem
recitabis.

Astans non turbabis, uel interturbabis aliorum sermo-
nem sed interrogatus, breuiter respondeo.

Cantharos & uasa ne per obliuionem cõfundas, ut al-
terum

PVERORVM

terum fundas pro altero, si uaria sunt uina.
Salis ne obliuiscitor.
Scissum uel confractum, mensæ ne apponito.
Internoctu sub cœnam aduigilato attente pro emun=
gendis lucernis, & ne quid fœdi odoris i nares re=
doleat conuiuantium.
Emungens ne extinguito.
Sed nec assuesces etiam, quicquid de mensa remotum
est, uel reconditum domi habetur, abligurire.
Actis gratijs, & sublatis omnibus, si quid uacat, lusu
quopiam honesto animum laxa cū sodalibus, do=
nec hora reuocet in ludum à lusu.

DE MORIBVS OBSER=

uandis in conuiuio.

Si autem contingat ut ipse quoq; mensæ accumbas, hæc
obseruabis.
In primis unguis præcisos habeto.
Manus lauato.
Erectus accumbito.
Hospiti collocanti acquieueris.
Ebrietatem fuge.
Sobrius esto.
sic præbebis hilarem te, ut semper memineris quid de=
ceat ætatem tuam,
Postremus omnium admoueto manum patinæ.
Si quid datur lautius, recusato modeste
Si instabitur, accipe, & gratias age.

A

iiij

Mox

DISCIPLINA

Mox decerpta portiuncula, quod reliquum est illi red-
dito, aut alicui proxime accumbenti.

Alterius tamen uxori, marito assidente, nihil reddideris.

Similiter principi, aut magnati nihil reddideris.

Parenti, amico, cognatis licet frangere, & distribuere
quæ optima uidentur.

Si quid lautius ministratur, ut epar piscium, & alia
quædam partius gustaueris, & reliquum distribuas

Si quis præbibet tibi hilariter illi bene præcator. sed
ipse bibito modice, Si non sitis, tamen admoueto
cyathum labijs.

Arride loquentibus.

Ipse nequid loquere, nisi rogatus.

Si quid obscœni dicetur, ne arride, sed compone uultum
quasi non intelligas.

Ne cui in mensa obtrectato,

Ne cui temet anteposito.

Ne tua iactato.

Ne aliena despicio.

Esto comis erga tenuis fortunæ sodales,

Deferto neminem.

Ne sis lingua futili.

Ita fiet, ut sine inuidia laudē inuenias, & amicos pares

Si uideris conuiuium esse prolixius, precatus ueniam,
ac salutatis conuiujs subducito te à mensa.

Panem pectore ne proscideris.

Digitulos, proscindens cultro, ne apposueris.

Quæ

PVERORVM.

Quæ ante & iuxta te posita sunt, edito.

Decerpturus ex catino quippiam, summo cultro com=
prehendito.

Ne ut sus effundas te supra cibum.

Ne confundas, uel turbaueris præsertim digitis, quæ
posita sunt in catino.

Oua manducaturus, panem conscindito frustillatim
prius. Verum ne quid præterfluat, curabis.

Mature edes ouum.

Testas non confractas in catinum reijcito.

Inter edendum ouum, non potabis.

Comesturus, thoracem conseruabis ne commacules.

Piper quoque edens, digitos non prælinges.

Suprema labia, aut nasum manica non emunges inter
epulandum.

Nasum non absterges, nisi strophio, idque ciuilitè
& modeste.

Mucum digito non excalpes.

Salino digitos ne indas, neue salsamentis & piperæ=
tis omnibus.

Buccellas ne nimis densas sumito, uel amplas, sed singu=
las conscindito.

Ex ore nihil extraxeris in orbem.

Caput inter epulas ne scalpito,

Omnis cachinus effusus in conuiuio turpis est.

Potaturus duobus digitulis, labra suprema abster=
gito.

A

v

Non

DISCIPLINA

Non appareat supernatans in poculo tuo sagimen aut pinguedo.

sed neque cibum habens in ore, nec dum uorato potabis simul & mandere & loqui rusticum.

Screare similiter, aut oscitare, aut expuere crebrius similiter inciuile habetur.

Agreste & ethnicum est, in supremo cubito recumbere.

Panem tinctum uino edere ex poculo in coetu hominum, ridiculum est.

Non recumbas in dorso supinus,

Cochleari quantum satis est, haurito & sorbeto.

Inter sorbendum nihil distilles, neque bis uno haustu sorpseris.

Donec manderis & glutiueris, ne sorbeas iterum.

Caninum est immensos bolos uorare, & ossa rodere,

In ossibus si quid pulpamenti haeret, modeste cultro proscindito.

Alij uero conuiuae quid praecerpant uel appositum habeant ne temere circumspectaueris.

Quod semel dentibus demorsum ac rosum, paropsidi ne inferas,

Italica, & Galliensis ciuilitas est, sed apud Germanos turpis, ossium & eduliorum quisquibias sub mensam deijcere.

Indecens quoq; unguibus, lingua, aut cultro repurgare dentes, sed agendum id est extra conuiuium.

DE HIS

PVERORVM
DE HIS QVAE
post prandium.

Compositis & remotis omnibus atq; gratijs actis, si
quid uacat, lusu quopiam honesto laxa cum sodali
bus animum, donec hora reuocet a lusu in ludum
Ad lectionem adsis rursus in tempore, totis uiribus
hoc agens, quod postulat locus.

DE REFECTIO-
ne priuata.

Cibus sit temperatus, ac tempestiuus.

Prande liberalius.

Coena parcius.

Cibi uel potus non quantum libidini, sed quantum natu-
rae satis est sume.

Pransus hilariter quaedam facito.

Sub coenam paulisper inambula.

Coenatus idem facito.

Ieiunus studebis, ac scribes.

DE PRAECEPTORE

eligendo, & obedientia illi exhibenda.

Præceptorem tibi deligas quam eruditissimum.

Neq; enim fieri potest, ut is recte quenquam erudiat,
qui sit ipse ineruditus.

Quem simul atq; nactus fueris, fac modis omnibus effi-
cias ut ille patris in te, & tu filij uicissim in illum
induas affectum.

Neque minorem enim honorem debemus ijs, à quibus
recte

DISCIPLINA

recte uiuendi rationem quam à quibus uiuendi, ini-
tia sumpsimus.

Alioquin credito te frustra literatū præceptorem ha-
biturum, nisi habueris & amicum.

Deinde ut te illi attentum, & assiduum præbeas.

Optima quæq; statim ac primum disce,

Extremæ est dementiæ, discere dediscenda

Præceptorem interpretantem, non attentus modo, sed
& auidus auscultato.

Non contentus impigre sequi differentem, aliquoties
præuolare contende.

Omnia illius dicta memoriæ, præcipua etiam literis
mandabis, fidelissimis uocum custodibus.

Noli committere ut codices eruditos habeas, ipse in-
eruditus.

Audita ne effluant, aut apud te, aut apud alios retracta

Diem in horas partire, quibus certa habeas quæ legas,

Nec his contentus, aliquam temporis partem tacite co-
gitationi tribuere memento.

Consiectatio, & tanquam palestra ingeniorum, neruos
animi præcipue tū ostendit, tū excitat, tū adauget

Nocturnas lucubrationes atque intempestiua studia fu-
gito, Nam & ingenium extinguunt, & ualeitudi-
nem uehementer offendunt.

Aurora musis amica est, apta studijs.

DE RATIONE STUDII

ex Rodolpho Agricola,

in studijs

PVERORVM

In studijs formandis duo praeicipue spectanda sunt, primum quod studiorum genus maxime sectari uelis. Secundum, qua ratione in eo quod elegeris plurimum efficias.

De primo, si facultatum uberior copia, & foelicior ingenij uis tributa est, quantum in te est, totis uiribus ad optima te conferto.

Artes sic recte ab infantia disces, si quod apud probatos autores legeris, id ipsum quam maxime proprijs & idem significantibus uerbis reddere uernaculo sermone coneris, ut quoties dicendum tibi aliquid est, aut scribendum, quando concipiendis uerbis apud animum tuum, sese quo natura fert, uernaculus sermo protulerit, statim quoque latina uerba iampridem illi hoc usu accommodata sequantur.

Ad haec si scribere uoles, optimum erit ipsum quam plenissime rectissimeq; patrio sermone intra animum tuum formare, deinde latinis pure, proprieq; significantibus explicare, sic fiet ut omnia aperte & quam maxime plane dicantur. Et alia multa in epistola, quam de formando studio autor is scripsit elegantissimam.

QVAE SIGNA OPTIMAE

indolis.

Magistris dare operam non assiduam modo, sed alacrem doctioribus condiscipulis se adiungere,

Et quos moribus uel fame obfore credat, ab eorum consuetudine

DISCIPLINA

consuetudine penitus abstinere.

Nullum cum alijs certamen habere nisi de literis, ac de
ijs perpetuum.

Facile percipere quæ traduntur, retinere fideliter, imi-
mitari foeliciter, pronunciare eleganter.

Vt caueat ne loquendo præcipitet sermonem, aut hæsi-
tet lingua, aut palato immurmuret, sed distincte,
clare, articulateq; singula uerba proferre cõsuescat

Vt pudeat ab alijs superari, imò magis præuolare con-
tendat.

Emendatus non irascatur, laudatus gaudeat.

Vt studeat ne quid ineptum, immodestum, improbum,
siue durum in se appareat.

Ne imuerecunda frons, elatum supercilium, licentes
oculi, proteruior lingua, siue inconstans uultus,
notari possit.

Et non aliquid postremo uel in facie tota, uel in gestu,
uel in statu, uel in incessu, quod offendat, quod mo-
lestum aut odiosum esse possit.

MODVS REPETEN- de lectionis.

Quibusdam prima ac unica ferè cura est statim ad uer-
bum ediscere, quod equidem non probo.

Est enim tũ magni laboris, tum, fructus prope nullius,
Quorsum enim attinet, psitaci more uerba non intel-
lecta reddere, Commodiorem igitur uiam accipe.

Lectionem quidem auditam continuo relege, ita ut uni-
uersam

PVERORVM

uersam sententiam paulo altius animo infigas.

Deinde à calce rursus ad caput redibis, & singula uerba excutere incipias, ea duntaxat inquirens quæ ad grammaticam curam attinent, Videlicet, si quod uerbum obscuræ aut ancipitis deriuationis, si heteroclytæ coniugationis, quod supinum, quod præteritum faciat, quos habeat maiores, quos nepotes, quam constructionem, quid significet, & huiusmodi nonnulla.

Hoc ubi egeris, rursus de integro percurrito, ea iam potissimum inquirens, quæ ad artificium rhetoricum spectant.

Si quid uenustius, si quid elegantius, si quid concinnius dictum uidebitur, annotabis indice, aut asterisco apposito.

Verborum compositionem inspicias, orationis decora sciscitabere. Autoris consilium indagabis qua, quid quæ, ratione dixerit.

Vt quid te delectauerit uehementius, caue præter casam (quod aiunt) fugias, Fige pedem, ac abs te rationem exige, quare tantopere sis ea oratione delectatus, cur non ex cæteris quoque parem ceperis uoluptatem, Inuenies te acumine aut exornatione aliqua oratoria, aut compositionis harmonia, aut (ne omnia persequar) simili quadam causa commotum fuisse.

Quod si aliquod adagium, si qua sententia, si quod prouerbium

DISCIPLINA

prouerbium uetus, si qua historia, si qua fabula, si qua similitudo non inepta, si quid breuiter, acute aut alioqui ingeniose dictum esse uidebitur, id tanquam thesaurum quendam animo diligenter reponendum ducito, ad usum & imitationem.

His diligenter curatis, ne pigeat quarto iterare.

Nam hoc habent eruditorum uirorum, summo ingenio summis uigilijs elucubrata scripta, ut milies relecta magis magisque placeant, semperque admiratori suo nouum miraculum ostendant.

Idque tibi in tabula tua saepenumero, nec sine causa laudata, euenire, solet, quod antea non animaduertisses. Idem tibi multo amplius in bonis autoribus eueniet.

Releges igitur quarto, ac quae ad philosophiam, maxime uero Ethicam referri posse uideantur, circumspicies si quod exemplum quod moribus accommodari possit.

Quid autem est, de quo non uel exemplum uiuendi, uel imago quaedam, uel occasio sumi queat?

Nam aliorum pulchre ac turpiter factis, quid deceat, quid non, iuxta uidebimus.

Haec si facies, iam uel edidiceris, quamquam aliud egisti. Tum demum, si libet ad ediscendi laborem accedito, qui tum aut nullus erit, aut certe perquam exiguus.

Quid, deinde? Restat ut cum studiosis congregiaris, tuas annotationes in medium proferas, uicissimque illorum audias, alia laudabis, alia reprehendes, tua partim defendes, partim castigari permittes.

Postremo

PVERORVM

Postremo quod in alijs laudasti, tuis in scriptis, imitari conaberis.

Item à lectione subinde surgas, ac tecum inambulans quæ legeris repetas.

DE GESTIBVS IN LVDIS

et recreatione animi.

Interdum animus laxandus à studio, remittendusq; est. Id efficitur honestis ludis et laxamentis.

Laxamenta honesta sunt, quæ pueros decent, trochus, pila, globi, agitatio corporis, cursus, ludus sphaeræ, saltus.

Saltus genera sunt, saltus locustarum, utraq; tibia, iunctis pedibus, unica tibia.

Probatur et palestra, et gladiatoria si in presentia præceptoris et absque inuidia fiat,

Natandi artis præstat spectatorem esse potius quam actorem.

Præstat et in cantionibus et instrumentis musicalibus ingenium exercere, quo delectamento nihil ciuilius, nihil musis magis accommodum.

Ludi prohibiti, sunt alea, tessera, chartæ, natare in aquis, et si qui sunt alij huius generis, ganeonum exercitamenta.

Decorant ludum, grauitas, honesta letitia, uiuacitas, uigor animi, ordo, charitas mutua, ingenue et legitime ludere, uirtute non fraude uincere.

Dehonestant ludum, nimia insolentia, clamor, insania, immoderatæ et stultæ gesticulationes, nimia turba
dolus malus

B

In hone

DISCIPLINA

In honestis ludis pulchrum est arte uincere. Et si quilibet locum suum gnauiter tuetur.

Hanc gratiã conciliat quibusdam lætioris quæstus spes
Leges ludorum hæc sunt, ne quis inter ludendum natiua aut uernacula lingua loquatur, sed uel ea quæ familiaris minus est, inde fiet ut et ludendo discatur.

Longe utilissimum fuerit statuta mercede, certatim ex autoribus aliquid recitare.

Id fieri curabit diligens præceptor.

MONITORIA IN COMMVNIBUS CONGRESSIBUS.

Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum.

Aperi caput.

Vultus sit nec tristis, nec toruus, nec impudens, nec proteruus, nec instabilis, sed hilari modestia temperatus, oculi uerecundi, semper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietæ manus.

Nec uacilles alternis tibijs, nec sint gesticulosæ manus.

Nec mordeto labra.

Nec scalpito caput.

Nec fodito aures.

Vestis item ad decorum componatur.

Totus cultus, uultus, uestis, & habitus corporis ingenuam modestiam & uerecundam indolem præseferat.

Ne sis inepte loquax, aut præceps

Nec

PVERORVM

Nec uagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat.

Si quid erit respondendum, id facito paucis, & pudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam & addito cognomento honoris gratia.

Atque identidem modice flectas alterum genu, præsertim ubi responsum absolueris.

Nec abeas nisi præfatus ueniam, aut ab ipso dimissus.

DE VITANDO PRAVORVM

consortio.

Adiuuat & profectum bonæ educationis, prauorum consortia uitare.

De his sic admonet Salomon, Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.

Ne delecteris in semitis impiorum.

Nec tibi placeat malorum uia.

Et Paulus, Corrumunt bonos mores colloquia praua,

Et modicum fermenti totam massam corrumpit.

DE BONORVM SOCIETA-

te ambienda.

Nullibi libentius uerseris, quàm in conspectu magistrorum.

Doctiores & modestiores condiscipulos humanitate tibi & obsequio deuincito.

Nam hoc omnium maxime conducit ad eruditionem, si quis cum studiosis & eruditis assiduam & domesticam consuetudinem agere possit.

B

ij

DE

DISCIPLINA
DE VERECUNDIA AD-
hibenda in incessu.

Sunt qui sensum ambulando gressus imitantur histrio-
num, & quasi fercula pomparum portantium, &
quotiescunq; gradum transferunt, modulos quos-
dam seruare uidentur, horum gressum ut pestem
fugito.

Nec cursim nimis ambules, nisi cum causa exigit alicu-
ius periculi, uel iustæ necessitatis, sed nec læte nimis

Est gressus probabilis, in quo est species autoritatis,
grauitatisque pondus, tranquillitatis uestigium,
hunc imitare.

In summa, sit motus purus & simplex.

Nihil fucatum & affectatum placeat.

Motum natura informet.

Si quid autem in natura uicij est, industria emendet.

Vt ars desit, non etiam desit correctio.

DE PVDICITIA ET
castitate.

Verecundiæ pudicitia proxima est, quæ nunquam tu-
tius retinetur, q̄ per uerecundiã & oculorum indis-
triam, ut intueri impudice mulieres paruipēdas
non ut execreris sexum, sed ut effugias flagitium.

DE VESTITV

In uestitu mediocritas & decentia plurimum com-
mendatur.

Sint igitur uestes nec preciosæ nimis, nec nimis sordi-
dæ, sed

PVERORVM.

*de, sed quæ publicam honestatem deceant
Semper hæreat hoc Ouidianum, Procul sint à te.
iuuenes, ut foemina compti.*

DE NVTRITIONE COMAE.

*De hoc audi statutum Apostoli, Vir si comam nutriat,
ignominia est illi, mulier uero si comã nutriat, glo
ria est illi, quoniã capilli ei pro uelamine dati sunt.
Vir autem non debet uelare caput suum, quoniam est
imago, & gloria dei.*

MONITORIA AD CIVILITA
tem & conuictum humanum.

*Principio eum animum obtine, qui nihil acerbum, ni
hil durum existimet, quod sit honestum.*

*Qui nullo uel metu deterritus, uel spe captus, ab officio
deflectatur.*

Quam optimos tibi adiungito.

Malos ne lacesito.

Tua ne iactes.

Aliena ne carpas, aut despicias.

*Fac, cum omnibus sis anteferendus, ipse te præferas
nemini.*

Cum bonis, officijs certa.

Nemini aduerseris.

Neminem deferto.

Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales.

Omnibus te affabilem præbeto.

Domi hilaris.

B

ij

Foris

DISCIPLINA

Foris compositus.

**Nemini tua arcana committas, memor quia fallax sit
multorum amicitia.**

Beneficium confer libenter.

Inuitus accipe.

**Gloriam si contemnes, ultro te sequetur, sin sequeris, fu-
giet sequentem.**

Ne capta laudari, sed fac laudanda.

Cum potentibus, aut nulla sit consuetudo, aut comis.

Nullus sumptus tibi sit preciosior tempore.

DE DISCRETIONE

in studijs.

Contentione immodica obruuntur ingenia discipulorum.

**Arsiduitas uero, & mediocritate perdurat, & quotidi-
anis exercitationibus, maiorem opinione aceruum
accumulat.**

**Sacietate cum omnibus in rebus, tum praecipue in lite-
ris nihil est perniciosius.**

DE REDITV POST HO-

ras pomeridianas ad domum.

Domum reuersus, idem ages quod ante prandium.

DE HIS QVAE POST

coenam.

A coena suauibus fabulis temet oblecta.

**Mox prosperam noctem parentibus precatus & fami-
lia, mature te conferto ad nidum.**

**Illic flexis ante lectum genibus, tecum reputa quibus
studijs**

PVERORVM

Studijs dies tibi peractus sit.

Si quid est grauioris admissi, Christi clementiam im-
plora, ut ignoscat, pollicereq; meliora.

Si nihil est. age gratias illius beneficentiae, quod te ser-
uarit ab omni uitio.

Demde toto pectore te illi commendato, ut protegat ab
insidijs mali genij & ab obscœnis somnijs.

His factis lectum ingressus, modeste te composito in
somnum.

Neq; pronus cubueris, neq; supinus, sed primum lateri
dextro innitens, brachijs ita transuersim compli-
catis, ut pectus muniat figura crucis, dextra ma-
nu sinistro admota humero, leua dextro.

DE MEDITATIO- ne in lecto sub requiem nocturnam.

Sub somnum exquisiti quippiam ac dignum memoria
legito, de eo cogitantem sopor opprimat.

Id experrectus à te ipso reposcas.

In summa, Plinianum illud semper animo insideat tuo,
Omne tempus perire, quod studio non impertias.

FINIS.

MAGDEBURG

ANNO

M D X X X V l.

BYERORVM

sanctis diebus tibi peractis sit.
Et quod est gratioris admodum Christi clariorum in
plura ut ignoscit, pollicetur, meliora.
Et nihil est, age gratia illius beneficentia, quod te
morte ad omni uitio.
Deinde ratio peccatorum illi committitur, ut inquit, ab
iniquis nulli gratia, et ab operibus formis.
Iis factis lectum magister, modesta et componio in
formam.

Neque proinde ex parte, neque superius, sed formam laeva
dextro iuncta, brachia in transmissum corporis
causa, ut per hunc mundum figura tractat, et in
instituto admodum doctorum, et in

DE MEDITATIONE

ut in libro de vita
postquam.
Ead formam expulsi, quippe ac deus in memoria
lectio, de eo cogitatum, sicut operantur.
Id expertus, et in isto respectu.
In summa, plura sunt illud sicut, et in
Omne tempore perire, quod studio non expertus.

FINIS.

MAGDEBURG

A. M. N. O.

M. D. C. X. V.



155649

AB 155649

ULB Halle

3

003 932 311



geb. 6.58 cl.R.






B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



DISCI

PLINA ET INSTI-
tutio puerorum, ex opti-
mis quibusq; autori-
bus collecta.

